

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

30.
34

ANTITHESIS

Probæ & improbæ mulieris.

IN LAUDEM ACHONOREM MATRIMONII, NEC NON IN GRATIAM HONESTISS. VIRI Dn. Clementis Strefonis, Cuius Seruestani, Sponsi

ET

CASTISSIMÆ VIRGINIS ANNÆ, ANDRÆÆ ZELEN CIVIS Seruestani, Filie Sponsæ



SERVESTÆ

Excudebat Bonaventura Faber.

Anno 1591.

ANTITHESIS.

Probæ & improbæ Mulieris.

Εἰ τις ἀπαξ γήμας πάλι δεύτερα λέκτρα δῶκει,
Ναυηγὸς πλάει δις βυθὸν ἀργαλέον.



Vi ducit Spōsam, prima moriente, secundā,
Naufragus Oceani medio natat aequore,
(Græcus

Affirmat. Nos si placet, hoc, neq; subtrahis aures,
Sponse, tori vinclo dum subdis colla secundi,
Quo possit, disquiremus consistere sensu.

Omnibus ingenium non est uxoribus unum,
Nec mens una, nec affectus cernuntur ijdem.
Non facile hanc igitur poterit decidere literam
Quisquam iudicio præstans, rerumq; peritus,
Qui recta ratione bonum discernit iniquo.

Cernas, quas tantum vesana superbia tollat,
Cernas, sub viti qua immania pectora vultu,
Cernas, qua blando occultent sermone venenum.

Dulcia tam nec apes implet & suavis herbis
Mella domi fingunt, quam dulcia fundere verba
Sæpe potest mulier: nec amara absynthia, nec tam
Ipse aloës succus, quam fraus, qua neçtitur illis.

Hæ sunt Sirenes, blandis concentibus aures

(:) 2

Mulcen-

Mulcentes, donec raptus vada ceca subintres,
Quae praeter, cautum sapientia duxit Vlysses.

At certe gratos iactant in lumina vultus,
Et frontem esse notam mentis didicisse videbar:
Quid verò his subsit, produnt, cum armatur in irā,
Non rapidus torrens auctus cum liquitur altis
Nix montana iugis, fluvijq; onerantur ab unda,
Non maris insani cum fluctibus aestuat unda,
Non tam flama urit pice pasta, inflatibus Austris:
Quam mulier, quae corde ferox ardescit in iras.

Quid verò, & quantum has ventosa superbia ve-
Dū sobolisq; domusq;, & cura gerēda mariti: (xat?
Sana, quid hic, mihi dic, Mulier? componere vul-
Inspecto discit speculo, circumdare collo (tum
Aurum ingens, nitidas capiti preponere gemmas:
His ornata sibi nil non persuadet, & audet
Omnia, divitias simulat, paupercula haberi
Solutus & immensus pudor est. Sed contraho vela,
Ne culpae malas videar plus velle, decenter
Quam laudare bonas: neq; si natura dedisset
Tres linguas, triaq; ora mihi, per cuncta referrem,
Qui casses, quae sint pravis mulieribus artes.

Talem qui ducit, tumidis sua carbasa ventis
Credidit, & fracta rate vitam ducit in undis.

At

At longè insanis à fluctibus ille remotus
Vitam agit in terris placidam, vereq; beatam,
Cui benè dispositi iungit clementia cœli
Vxorem pietate grauem, vitaq; modestam,
Cynthia plena velut nocturnas dissipat umbras,
Irradiat Phœbus totam ceu lampade terram:
Sic candela sua nitidissima lucet in æde,
Sic radios effusa domum fulgoribus implet
Sol & Luna domus mulier, fax atq; Pyropus.
Efferat vis animi non hanc sic occupat, ut vel
Negligat illa domum, vel negligat illa maritum,
Hæc linum & lanam ancillis dispensat, & ipsa hæc
Nocturna versatq; manu versatq; diurna,
Illa colens hortos supponit semina terris,
Illa colit fruges, & agris impendere curam
Nil dubitat, carpit frondes, & brachia tondet
Arboribus, ramos compefcit & illa fluentes,
Illa suis manibus vites fulcitq;, putatq;
Cunctaq; proueniunt fructu uberiore per agrum,
Quem niueus domina calcatur pes, omnia florent
Pulcrius, & largo augentur magis omnia foetus.
Inde sui postquam fructus perceperit agri,
Lautè implet natos, & seruos nutrit abundè
Et si quid superest, partem largitur egenis,

Partem custodit, sterilesq; reponit in annos.
Huius non metuumt ventia frigora nati,
Omnes nam duplici muniti corpora veste,
Murmura ventorum spernunt, solisq; recessus:
Hac expers omnis litis, fraudisq; doliq;
Sedulitate sua fouet, exhilaratq; maritum.

Talis cum tibi nunc (nec enim presagia fallent,)
Tradatur coniux, felici sidere nata,
Sponse, vir egregia prastans pietate fideq;
Nostra tibi merito gratatur carmine musa.
Non equidem (quis enim tota dubitabit in urbe)
Non mihi materies laudandi teq; tuosq;
Non extollendi prastantem, occasio, Sponsam,
Si vellem, possem prolixus & esse disertus.

Sed facit absurdè, media qui in luce sedentes,
Candela accensa studet illustrare, nec est res
Ista mei stomachi, fateor: discrimina namq;
Inter adulantem & laudantem tanta repono,
Quanta in transpositis elementis esse videntur.
Et nisi me fallit mens, hac encomia passim
Vilescunt, sine Iudicio qua sepe canuntur,
Qua nullum prae se gestant cum fronte pudorem,
Mercurium ex quouis facile audent fingere ligno.
Hac verò si tutali susceperis, ipse

Qua

Qua tibi transmitto sincera, carmina, fronte:
Portū nostra suum, quem sperat, nacta carina est.
Sic tua te teneris includat Sponsa lacertis,
Sic sensus vobis, atq; insit Spiritus idem,
Sic, veluti si quando tuis decisa sub hortis
Altera in alterius, trunco defigitur arbos,
Concresecunt, mixtoq; edunt de corpore fructus,
Sic duo vestra hodie coalescant pectora in unum,
Commixtoq; edant multos de corpore partus.
Vivite, quos hodie stabili concordia nexu
Junxit, in offensam non duro sidere vitam,
Latitiae plenis & aus transmittite Caros,
Qui sibi maiorum (quod idem fecistis & ipsi)
Et decus & nomen ducant laudabile, natos.

V O T V M.

Casta Deus mens est, & casto gaudet amore,
Quem iussu ipsius, pectora casta fouent.
Sic thalamum primi castum subiere parentes,
Mutuus in puro cordeq; mansit amor.
Talis amor, raris o par virtutibus equum,
Cor vestrum, sanctus, nuptaq; virq; ligat.

Ergo

*Ergo thori defensor erit Deus, atq; iuuabit
Vos ope clementi, presidioq; suo.
Annulus ut digitos modò vestros aureus ornat,
Sic cinget pacis gratia blanda comas,
Grataq; legitimi capietis gaudia lecti,
Gaudia, quæ nullo sunt peritura die.*

M. Iohannes Cnorr amoris &
beneuolentiæ ergo F.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





B.I.G.

Farbkarte #13



30.

34